

† **R. P. Ferreolus Girardey (1839–1930).**

(*Prov. S. Ludovici.*)

† **R. P. Ferreolus Girardey (1839–1930).**

(*Prov. S. Ludovici.*)



R. P. Ferreolus Girardey, cum pridie kal. Aug. 1930, annos natus 91, menses 3, in pace Christi mortem S. Ludovici obiit, non modo Provinciae suae, sed universae Congregationis Nestor fuit et ipsius S. Fundatoris longissimam vitam quinque mensibus excesserat. Atvero defuncti cari confratris vitam attentione ac memoria nostra vere dignam efficit non tam patriarchalis eius vitae diuturnitas, quam quod ipse intra illos 74 vitae religiosae et 68 sacerdotii annos, divinae voluntati pie obsequens gratiaeque inspiranti prompte obsecundans, tot ac tanta pro Deo, animabus nostroque Instituto perfecit.

Ferreolus noster natus est in Galliae finibus, in loco Rouge-Goutte (*canton de Giromagny, Territoire de Belfort*) die 21 Apr. 1839 eodemque die ex aqua baptismali renatus est. Anno insequenti eius parentes, Nicolaus Girardey et Maria Francisca Patat, cum filiolo in Americam migrarunt, et Novam quidem Aureliam, qui portus Unionis australis tum temporis iam numerabat incolarum amplius 100 000, inter quos etiam multos catholicos nationis Gallicae. P. Girardey postea, iamiam admodum senex, saepe narrabat, quemadmodum ipse, tum puer octo annorum, cum parentibus d. 24 Oct. 1847 adfuisset illi caerimoniae, cum P. Petrus Czackert (de quo plura supra p. 53 sqq.) paroeciam B. M. V. in caelum assumptae suscepisset.

In hac eadem parocia familia Girardey habitabat, et Ferreolus, qui Patres Redemptoristas tanto cum zelo animarum salutem promoventes videret, brevi desiderium his apostolicis viris sese aggregandi in animo oriri sensit, in quo pio proposito, ut erat divinis inspirationibus obsequens ac conscientiae moderatori oboediens, vertentibus annis magis magisque confirmabatur.

Annos natus quindecim, ut in novitiatum admitteretur, disertis verbis petiit, et cum ob teneram aetatem exspectare iussus esset, per annum prope Baltimoram in quodam Sulpicianorum collegio studiis vacabat, schola elementari, et catholica quidem privata, iam absoluta. Tandem decimo sexto natalis anniversario, 21 Aprilis 1855, novitiatum Annapolitanum ingredi ei licuit, et sacra veste 27 Maii ab Adm. R. P. Rectore et Magistro Gabriel Rumpfer recepta, eodem die anni 1856 in manus Pl. R. P. Provincialis Georgii Ruland Instituti Alphonsiani vota nuncupavit.

Statim postea Fr. Girardey in domum studentatus missus est, quae tum in eodem Statu Marylandia, Cumberlandiae, erat, ibique usque ad d. 4 Maii 1862 mansit, studiis humanitatis et philosophiae ac theologiae deditus. Memoratu certe dignum est eum altero studentatus anno una cum aliis choristis a Ven. Servo Dei Ioanne Nep. Neumann ad ordines minores esse promotum, nec silentio praetereundum videtur eum iam ultimis studentatus annis confratribus iunioribus linguae Gallicae et Latinae aliarumque disciplinarum eiusmodi Lectorem esse datum.

Quoniam exactis studiis omnibus aetatem canonicam nondum attingerat, ut sacerdotio initiari posset, prius per sex menses secundum obiit novitiatum, donec d. 11 Iun. 1862, annos natus 23, menses 3, simul cum confratre Iosepho Henning Baltimorae in ecclesia S. Alphonsi ab Archiepiscopo Francisco Patritio Kenrick sacerdos Altissimi ordinatus est. Primam Missam Annapoli celebravit.

Interim mense Maio 1861 exarserat illud bellum civile, per quattuor annos duraturum, quo Status Foederati septentrionales contra australes dimicabant, et cum ipsa quoque Marylandia belli sedes esset, neoprofessi Cumberlandiam mitti nequibant, sed Annapoli retinebantur. Quibus neosacerdos P. Girardey datus est Lector et philosophiae et physices et historiae ecclesiasticae; immo mense Iunio 1862 bellicus quoque capellanus creatus, per vices cum aliis confratribus in quodam hospitali militari ad finem usque belli (Apr. 1865) ministerium sacrum exercebat.

Anno secuto, 28 Aug. 1866, etiam Annapolitanus Patris Girardey lectoratus finem accepit; nam cum Patribus Dold et Smulders S. Ludovicum missus est, ut ibi hodiernam nostram ad S. Alphonsi domum conderent. Quam ipse de huius novae foundationis exordiis scripsit relationem Anglicam, eam videre est in Annalibus Patris Wuest, vol. V, p. I, pag. 194-198.

Biennio post, mense Iunio 1868, invenimus Patrem Girardey Neo-Eboraci ad S. Alphonsi qua Superiorem, et altero biennio exacto, Iulio 1870,



iterum qua Lectorem philosophiae in studentatu, interim Illehestriam translato. At vix annus elapsus erat, cum Ferreolus noster denuo migrare iubetur, et tum quidem in urbem patriam, atque Novae Aureliae non per 12 menses, sed per totidem annos mansit, insigni cum fructu curam paroecialem cum confratribus exercens. Eodem etiam rediit a. 1885, postquam per biennium interiectum in paroecia nostra S. Ludovici apostolicum zelum explicavit.

Magni momenti munera eum inde ex a. 1887 manebant. Cum enim Provincia S. Ludovici, a. 1875 erecta, tandem aliquando proprium studentatum in Kansas City fundasset, eius primus Praefectus creatus est P. Girardey, cui simul philosophia et historia ecclesiastica docendae erant atque multiplex auxilium in paroeciali opere praestandum. Mense Maio 1893 a Superioribus Grandormium (*Grand Rapids*) mittitur ad communitatem et paroeciam S. Alphonsi ibi gubernandas, et cum anno insequenti Pl. R. P. Provincialis Iosephus Schwarz Roman ad Capitulum generale proficisceretur, P. Girardey eius vices gessit; immo toti Provinciae usque ad a. 1898 praefuit, siquidem P. Schwarz Romae ut Consultor Generalis retentus est.

Dicto anno 1898 confrater noster provincialatu quidem liberatur, duplici vero officio Rectoris et Praefecti studentium in domo Kansas City per duo triennia oneratur. Neque tum viro 65 annorum ad gregarios milites redire licuit, sed Maio 1904 in urbe patria et nostram communitatem et tres paroecias florentes regendas suscipere iussus est, Anglicam S. Alphonsi, Germanicam S. Mariae, Gallicam Dominae Nostrae. Hoc triennio ei duplex gaudium allatum: die 11 Dec. 1904 Romae interfuit cum suo Provinciali, Pl. R. P. Iosepho Firle, canonizationi S. Gerardi, et Maio 1906 domi aureum professionis iubilaeum celebravit.

Novum triennium (1907-1910) iterum in Kansas City degit, sed dumtaxat qua Rector, non qua Praefectus, cum studentatus interim in De Soto translatus esset. Eo autem Rectore in Kansas City nova illa magnificaque ecclesia in B. M. V. de Perpetuo Succursu honorem exaedificata est, quae hodie exstat.

Annis 1910-1921 P. Girardey, licet aetate multum provecus, summa diligentia munere Procuratoris Provinciae fungebatur, primum in domo iuvenatus Kirkwood, prope magnam S. Ludovici urbem, inde ex Iulio 1915 in ipsa Superioris Provincialis residentia. Kirkwoodii igitur peregit 11 Iun. 1912 iubilaeum aureum sacerdotii, S. Ludovici vero festa rarissima ob completos LX annos vitae religiosae (6. Iun. 1916) totidemque sacerdotii (14 Iun. 1922). Hoc postremo die venerando iubilari, annis meritisque onusto, in Missa sollemni tres Provinciales Americani ad aram et sexaginta alii Redemptoristae in choro assistebant.

His duodecim annis varia quoque opera theologica et ascetica, 35 numero, prelo subiecit, quorum complura e Gallico in Anglicum transtule-



rat. Inter ea notatu digna sunt P. Desurmont « Regulae nostrae cum Institutum fine harmonia », P. Bronchain « Meditationes », P. Boumans « Exercitia spiritualia decem dierum », et imprimis « Libellus missionalis », in usum fidelium qui alicui missioni nostrae interfuerunt.

Interim desideratissimus P. Girardey demum venit ad vitae vesperam, et his octo ultimis longae vitae annis, calamo deposito, omne tempus orationi dicabat, et mentis compos manens, merita cumulare non desistebat. Admirabamur tum insignem in eo patientiam atque amantem cum divina voluntate unionem. Extremum annum S. Ludovici in Alexianorum nosocomio traduxit, qui Fratres misericordiae brevi eum amare et ut virum sanctum venerari coeperunt.

Nimii superioris aetatis calores venerandum senem citius ad meritam coronam adduxerunt. In osculo Domini placide obdormivit fer. V, 31 Iulii 1930, praesentibus compluribus confratribus. Ipse Superior Provinciae cum Consultoribus suis Missam de Requie cantavit; funebrem autem orationem habuit Rector domus Chicagiensis ad S. Michaelis, absentis Archiepiscopi in danda ad feretrum absolute vices gerente Vicario Generali, Rmo D. Crane. Alii duo Prelati, multi presbyteri saeculares multoque plures confratres has exequias praesentia sua cohonestarunt. Postea corpus tumulatum est in caemeterio iuvenatus Kirkwoodensis.

P. Ferreolus Girardey genuinus Redemptorista, verus discipulus Christi Redemptoris, dignus S. Alphonsi filius dignusque sodalis S. Clementis Hofbauer, Ven. Iosephi Passerat et Ven. Ioannis Nep. Neumann fuit. Eorum enim vestigia premens vir orationis et ardentis zeli plenus erat. Illud « ora et labora » vitae eius norma esse videbatur, siquidem aut cum Deo orans tractabat, aut pro Deo salvandis animabus allaborabat. Nisi laboribus vocationis suae deditus erat, vulgo, velut alter P. Passerat, Rosarium Mariale manibus gestans apparebat. Temporis sacram usuram ita manifestabat, ac si peculiari voto interposito cuiusvis momenti iacturam evitare satagisset.

Ob vocis exilitatem minus idoneus habendis missionibus, eminebat ut catechista et exercitiorum spiritualium moderator, praesertim ad clericos et religiosos. In paroeciis, quarum ministerio addictus erat, mirum quantum et in sacro suggestu et in tribunali paenitentiae et ad aegrotantium vel morientium lectulos perfecit.

In manibus Superiorum semper fuit sicut lutum in manu figuli. Regulae nostrae observantissimus, ad idem subditos magis exemplo quam verbo excitabat. Fraternali caritatem exercebat erga omnes, et praesentes et absentes, maxime erga confratres iuniores. Cum aliis praeerat, potius ad clementiam quam ad rigorem proclivis erat; attamen, etsi suaviter in modo, fortiter in re se gerebat. Nunquam confratri succensebat, sed pronus erat ad ignoscendum, et si quem invitus offenderat, cito humilis veniam petebat.

Qui Patris Girardey curae in studentatu commissi erant, gratum ei per totam vitam servant animum; quinimmo universa Provincia S. Ludovici, beneficiorum memor, in aeternum piam ei conservabit memoriam; etenim quo tempore haec Provincia nata est et inter multas magnasque difficultates pubescebat, P. Girardey pro ipsa strenue laboravit atque multa magnaue pertulit.

R. I. P.